

no 1356. erecto Sigillum suum apponi curavit. (a) Rudolphus Austriae Archi-Dux N. à Lasberg Aulæ suæ Mareſchallum habuit, eumque produxit in literis investituræ de bonis quibusdam morte Cunradi de Gileis Ottonis filii apertis, & Cunrado de Weitra Anno 1361. in feudum datis, in quibus Lasbergius sic subscriptus legitur: *Lasberger Mareſchal*. (b) Johannes de Lasberg Supremum Camerarium apud eundem Serenissimum Rudolphum Austriacum egit & ab Hero in testem vocatus est in confederationis diplomate inter Hungariæ Bohemiæque Reges, Ducesq; Austriae An: 1362. erecto & in Privilegiis Viennensi Civitati An: 1364. concessis. (c) Alius Johannes de Lasberg Aulæ Mareſchalli munere apud Leopoldum Austriacum functus est, & allegatur in emtionis instrumento de Anno 1378. hoc titulo: *Herz Hannß von Laßberg / des Edlen Hochgebohrnen Fürsten / Herzog Leopolds zu Oesterreich Obrister Hof Marschall*. (d) Carolus & Johannes de Lasberg compromissarii iudices a litigantibus quibusdam partibus constituti arbitrium suum publicarunt Anno 1384. (e) Johannes Pincerna de Riedt testem produxit cognatum suum Rudolphum à Lasberg Equitem An: 1396. quem nominat: *Dem Erbern Ritter Herrn Rudolph von Laßberg / meinem Oheimb*. (f) Leopoldus de Stichelberg Ernesti Austriaci Supremus Camerarius testimonium Rudolphi de Lasberg in emtionis Instrumento de Anno 1402. obtinuit. (g) Idem Rudolphus Lasbergius in alio documento Anni 1405. cujus Author fuit Nicolaus Schauerbeck citatur. (h) Georgius à Lasberg renuntiavit omnibus prætensionibus in nobilem foeminam Annam viduam de Lichteneck habitis Anno 1444. (i) Bernhardus à Lasberg Anno 1490. (k) Bartholomæus autem An: eodem 1490. in diversis documentis testes dedere. (l) Bernhardi Lasbergii sub Annum 1494. in tribus documentis mentio occurrit. (m) Ejusdem Bernhardi cum Paulo Frey habitas lites sententia judicis decidit Anno 1500. (n) Hic Bernhardus denique Annam Antonii Frey relictam Viduam in matrimonio habuit Anno 1502. (o) Christophori Domini de Mainberg literas subscripsit Vitus à Lasberg Anno 1528. (p)

(a) *Archiv. Stat. num. 465.* (b) *Ibi num. 609.* (c) *Document. Privilegiorum Stat. Austriae & Privilegia Viennens.* (d) *Archiv. Stat. num. 993.* (e) *Ibi num. 1118.* (f) *Ibi num. 1412.* (g) *Ibi num. 1647.* (i) *Ibi num. 2579.* (k) *Ibi num. 3306.* (l) *Ibi num. 3310.* (m) *Ibi num. 3358. 3359. & 3383.* (n) *Ibi num. 3471.* (o) *Ibi num. 3487.* (p) *Ibi num. 3665.*

CAPUT